



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii**

**Afhakker, Aegidius**

**Vrsellis, 1618**

Capvt V. Qui à quot alis iudex constitui possir aut debeat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

## CAPVT V.

Quis & à quo talis iudex constitui possit aut  
debeat.

**D**ico breuiter *primò*: Talis controuersiarum iudex ab hominibus ex iure gentium cōstitui nullus potest. Patet, quia dignitas huius iudicis transcendit totius naturæ terminos. Cum igitur natura humana ex se sit defectibilis & errori obnoxia, imo in fidei negotio prorsus cæca, nemo ab hominibus ex iure gentium, quod corruptam naturam sequitur, poterit aptus fieri vt talem iudicem agat.

*Secundò*: Neque (si alicui hæc potestas à Deo esset data) posset ipse alium ad eandem dignitatem euehere. Patet, quia homo non potest homini conferre infallibilitatem in iudicando. Vnde sequitur, neque totam Ecclesiam, id est, omnes pastores simul, etiã si ipsi essent infallibiles, posse vices suas in hoc iudicio delegare, seu vnum constituere infallibilem controuersiarum iudicem Ecclesiæ Vicarium.

*Tertiò*. Deus potest huiusmodi iudicem cōstituire. Patet. Potest enim Deus hominem quemcunq; vnum vel plures, fidei & sapiētiae lumine illustrare, sicut illustrauit Apostolos, & quæ potest dare, pōt & cōseruare ne vnquã deficiant. Potest item huiusmodi homine tāquam

2. Cor. 10

4.

1. Cor. 4.

21.

quam ministro suo vti ad explicandam fide-  
libus omnibus omnē doctrinā fidei, omnesq;  
religionis controuersias terminandas, confe-  
rendo ei authoritatem puniendi inobedien-  
tes, qualem habuerunt Apostoli instructi ar-  
mis potentibus Deo ad destructionem munitionum  
consilia destruentes. & omnem altitudinem extol-  
lentem se aduersus scientiam Dei; & in captiuitate  
redigentes omnem intellectum in obsequium  
Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem in-  
obedientiam, parati quoque in virga venire ad dif-  
colos.

Nec certe huiusmodi potestas à Deo in ho-  
mines deriuata vlllo modo honori diui-  
no derogat; sed & sapientiam & potentiam  
Dei maximè manifestat, vt qui per infirmum  
& miserabile huiusmodi instrumentum (qua-  
lis est homo) tam diuina possit obire munus  
vt meritò hic locum haberet illud Matt. 9. &  
videntes autem turba timuerunt & glorificauerunt  
Deum qui dedit talem potestatem hominibus: præ-  
sertim cum talis potestas pro tristissimis in re-  
ligione dissidijs componendis, admodum sit  
necessaria.

Quartò: Sacra Scriptura nec conuenienter  
dicitur, nec reuera de facto est controuersia-  
rum fidei iudex. Prior pars est manifesta ex eo  
quod Sacra Scriptura (vt fatentur etiam om-  
nes hæretici) sit & dicatur lex diuina.

In omni autem iudicio (excepto diuino) iudex distinguitur à lege, præsertim scripta: nec possunt hæc duo esse indistincta, nisi ubi dicēs sententiam essentialiter, est recta ratio, quod soli Deo competit. Cum ergo sacra *Scriptura* non sit *Deus*, non erit etiam iudex, si sit regula.

Altera pars quæ rem ipsam, etiam secundū sensum aduersariorum, tangit, odiosa est omnibus hæreticis: eamque clamitant *Scripturæ* sacræ eiusq; authori esse iniuriosam. Sed certe nesciunt ipsi quidnam sit ipsa, quam identidē inclamitant, Sacra *Scriptura*. Probatur ergo quod diximus primò:

Quia sacra *Scriptura* non ita clarè sententiam dicit, vt pars litigantium vtraque quid iudicatū ab ea sit intelligat; vt docet vel vnū inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes decem & amplius annorum dissidium, atque vtriusque partis plurimæ pro se allegatæ ex *Scriptura* sacræ sententiæ; adeo vt palpabili hac experientia conuicti ipsimet passim fateantur *S. Scripturæ* in multis locis obscuritatē. Quinimo huius obscuritatis saltem pro tenebroso nostro intellectu, varias enumerat causas *Vilhelmus Teelingius* in suo *Eubulo cap. 19. sect. 3.* Tenet nihilominus idem *Teelingius* omnia dubia circa religionem nullonisi *Scripturæ* iudicio esse terminanda.

Verè tamē magno conatu nihil efficit aliud, nisi quod scripturam statuat controuersiarū dirimendarum legem & normam, quemcumque verò, etiam stupidissimum idiotam, lixas & calones earundem faciat controuersiarū iudices; quemque tamen pro sese tantum, neminem verò vtrique litigantium parti communem, vt nec infallibilitatis priuilegio instructum.

Quod verò nos supra capite primo sacrae Scripturae in plerisque locis controuersis claritatem adstruere visi sumus. Dictum fuit sub conditione humilitatis & timoratae conscientiae: & ne tunc quidem absolutè de omnibus. Adieciimus enim in dubijs scripturae locis pastores Ecclesiae etiam bonis & humilibus consulendos esse. Recta enim ratio docet Legem Dei non mihi & tibi aut cuiuslibet priuato homini immediatè datam esse, sed toti Ecclesiae, adeoque in dubijs legis ad Ecclesiam nobis recurrendum.

Quare quod ad argumentum hoc nostrum respondere soleant aduersarij S. scripturae obscuritatem aut potius difficultatem ex intellectu humani caecitate & vitio causari, vt, sicut noctua aut vespertilio ob imbecillitatem oculorum aciem non ferunt clarissimos solis radios, ita mens humana natura sua & peccati vulnere caecitati obnoxia ad contemplandos sacrae scripturae radios non sit sufficienter

nihil ad rem dicunt. Cùm enim iudicé quæramus qui latâ sententiâ partium litem finiat, terminari autem illa non possit, nisi pars vtraque quid à iudice decisum sit, sufficienter intelligat; vnde cunquē tandem hæc partium cæcitas oriatur, lis dirempta esse nō cesebitur nisi iudicis sententia vtrimque intellectâ. Et certè quantò maior est inter contendētes cæcitas, tantò minus altissima legum aut iudicis sapientia ad pacem conciliandam proficit. Ad conciliandos enim rixantes inter se *equum & mulum quibus non est intellectus*, non politica Aristotelis sed *camo & freno* aut fuste agasonis opus est. Sed dicent; S. scriptura lux est cæcorum illuminans oculos, iuxta illud ps. 118. *lucerna pedib. meis verbum tuū*. Rectè: sed cur ergo Remonstrâtes & Contra-Remonstrâtes hac luce nō vrūtur, vt veritatē de qua altercâtur, simul videât? Certè altera eorū pars cū ambulet in tenebris, caret lucerna: Ergo caret verbo Dei, atq; ita si *scriptura* idē sit quod *verbum Dei* illi qui à veritate aberrant, S. scriptura erunt destituti. Quinam autem sunt isti? Huius quæstionis quærimus infallibilem iudicem. Nam est quidem verbum Dei lucerna & lux, sed nō nisi cum ritè ab intellectus oculo perceptum est, prout eodem psalmo 118. seipsum idem propheta David explicat dicens; *Declaratio (i. explicatio seu recta intelligentia) sermonum suorum illuminat; & intellectum dat paruulis. i.*

humilibus. Quocirca Scriptura sacra nisi intelligatur eo sensu quo à Deo data est, reuera non est nobis verbum Dei. Literas enim in quocunque (quem nos habemus) bibliorum codice ex atramento per prelum expressit typographus, vel vili calamo figuravit scriba vetustate quoque, igne & aqua corrumpuntur.

*1. Pet. 11*  
*25* *verbum autem Domini manet in aeternum, nec profecto illud typographus, nec scriba, nec prater Deum facere quisquam potest. Tolle ergo quod fecit typographus, & dic mihi vbi nam sit verbum Dei: Nusquam nisi in mente eius: qui audiuit à patre & didicit, & venit ad Christum.* Frustra ergo Evangelici nostri & Reformati gloriantur in suo verbo Dei, vel in sacris literis; cum probare nullo modo possint vnquam se Deum loquentem vel vnum verbum audiuisse. Verum est: placuit diuinæ sententiæ (sic omnia statuit agere per media reuoluntatis naturis optimè conueniētia) tradere Ecclesiæ suæ per Prophetarum Apostolorumq; manus exaratas quasdam scripturas, ex quarum figuris seu characteribus tanquam signis iam ante hominum generi notis, ipsa Christi sponsa Spiritus sancti vnctione adiuta doctrinam disceret. Atque ita scripturas illas *sacras* appellare solet; eo quod sacratissime diuinæ veritatis signa (licet ex nigro & fetente humore confecta) contineant; eodem prout loque-

*1. Pet. 11*  
*25*

*100.61.45*

loquendi modo quo statuas & imagines sui sponsi eiusque amicorum (licet è ligno, lapide aut colore artificis manu elaboratas) *sacras* solet nominare. Nec alio modo ista scriptura sacra *verbum Dei* potest appellari, quàm imago Christi dici potest Christus; adeoque nec alio modo reuerentia, cultu aut honore affici quam à Catholicis imago Christi honore afficitur: scilicet vt non signum quatenus per se res quædam naturalis est, nomine aut gestu honorifico dignum censeatur, sed tantum quatenus alterius rei aut personæ quæ honore digna est, est repræsentia.

Itaque de *verbo* loquentis in corde nostro, *Dei* & de fide nostri interioris *audirus* ita statuendum, vt verè nos ita illuminet, vt firmiter assentiamus ijs omnibus, quæ audimus; non ob quamcunque rationem, sed solum ob hæc: *quia Deus dixit*. Non autem, quia Petrus aut Paulus dixit aut scripsit. Sic enim fundamentum nostræ fidei fieret alius præter Deum, nec in nobis audiremus loquentem Patrem sed hominẽ. Ad quid (inquies) ergo scriptura? Ad hoc ipsum (inquam) ad quod Christi Apostolorumque prædicatio exterior. Nimirum, propositio est eorum quæ vult Deus in cordibus nostris loqui. Nam licet potuisset Deus immediatè singulorum hominum intellectui per semetipsum mysteria fidei reuelare nõ tamen

tamen



tamen hoc eius sapientiæ (quæ naturam  
sumit ministram quamdiu ea apta est mi-  
strare) placuit. vt patet ex illo Rom. 10. *quod  
modo credent ei (Deo) quem non audierunt: quod  
modo autem audient (vtique Deum) sine prædi-  
cante, & paulo post: ergo fides ex auditu.* vbi  
patet, primo, eos qui fidem accipiunt ex eo quod  
audiant hominem concionantem, non crede-  
re homini, sed Deo, adeoque roganti cur cre-  
dant, non pro ratione sui assensus daturos au-  
thoritatem prædicantis, sed Dei. Quod com-  
mendat in Thessalonicensibus Apostolus di-  
cens: *cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei  
accepistis illud non vt verbum hominum sed (scilicet  
vere est) verbum Dei, qui operatur in vobis. quod  
credidistis.* Patet secundo Deum (saltè ordina-  
riè) non loqui hominibus intus ea quæ ad fi-  
dem spectant, *sine prædicante*; sub quo etiam  
comprehenditur is qui per scripturam iungi-  
tur officio prædicantis. Nee tamè etiam pro-  
pterea hominis prædicantis autoritas est ra-  
tio credendi immediata, quæ in Dei authori-  
tatem tanquam in vltimam rationem debet  
resolui. Immediatè enim ideo homo vere  
delis quippiam credit, quia Deus solus hoc  
xit.

Pro quo notandum, in Verbo Dei seu  
esse duo; locutionem scilicet & veritatem pro-  
positionum, quas Deus loquitur. Locutio  
est illuminatio nostri intellectus. Hanc pro-

1. Thes. 2.  
12.

stare homo homini non potest. Potest tamen externa locutione eandem quam Deus dixit veritatem dicere & scibere: imo quasdam huiusmodi veritates naturali lumine, adeoque Deo sibi per fidem non loquente, acquirere. ut patet in doctrinis Philosophorum. Quantū ergo ad hoc attinet, quod Deus vult nobis reuelare. Hoc in sacris literis tanquam in signis proponitur & à bonis pastorib. populo prædicatur. Patet *tertio* idiotas qui legendi artem non didicerunt, nullum habere medium quo verbum Dei discant nisi prædicationem; adeo ut, si à prædicatē falso ipsis verbum Dei prælectum aut prædicatum fuerit; non habeat quo doctrinam eius ipsi examinare possint; atq; ita scriptura sacra ipsis iudex nullo modo esse potest. Patet *quarto*, illos qui scripturas sacras legunt & malum ex ijs sensum capiunt, *verbum Dei* non habere, sed verbum propriū verbi diuini signis supponere. Cum autem constet inter illa signa multa esse ἀνάλογα multa συνώνυμα, multa item πλείσματα; quis sibi confidet: rectum se in omnibus sensum attingere: & ubi duo pluresve (ut fit) in colligendo sensu dissentiunt, quis erit controuersia idoneus iudex? Hoc est ergo quod quaeritur. Præterea cum etiam nostri aduersarij fateantur, sacram scripturam sine Sancti Spiritus illustratione non posse rectè intelligi, quis & vnde certus esse poterit, hanc sibi potius

us quàm alteri obtigisse illustrationem?

Demum multa sunt verbi diuini dogmata quæ scripturis sacris non sunt tradita, quod licet aduersarij nostri omnes (vt suæ reformationis habeant fundamentum) audacter soleant pernegare, nequaquam tamen vilo vel probabili argumento ex iisdem sacris scripturis possunt ostendere omnia à Deo per scripturam nobis esse tradita, vt facillè patet cū hac quæstio inter nos & illos disputatur. Cū igitur hoc credant, ipsi aliquid credunt, quod in scriptura nusquam est reuelatum, idque totius suæ reformationis ponunt fundamentum. Imo verò plerique ipsorum relicto sabbatho, quod in antiquo testamento Deus Sanctificandum præceperat, nunc diem sequentem festum habent & celebrem, quod tamen nusquam in sacra scriptura præceptum est. Denique in sacramenti baptismalis administratione voce pronunciant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, cum tamen hoc faciendum esse in Euangelio non sit scriptum. Mandat quidē Christus Apostolo vt baptizent omnes gentes in nomine Patris &c. Sed Apostolus Paulus etiā docuit fideles *Col. 3. 17.* *omnia quaecunque facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Cur ergo reformatores nostri in omnibus actionibus suis non dicant *hoc ego facio in nomine Domini nostri Iesu Christi*. Si dicant, Apostolum non dicere verba illa

ore esse proferenda: demonstrent vbinam  
 Christus dixerit verba illa in baptismo addē-  
 da esse. Dico *Quintò*. priuatus cuiusque spiri-  
 tus nō potest esse controuersiarū iudex. Patet:  
 Quia ille spiritus vni tantum litigantium parti  
 sententiam suam aperit: quare licet sit verax  
 & bonus, non tollit controuersiam nisi parti  
 aduersæ etiam eandem veritatem reuelauerit;  
 quod quam rarò fiat, docet experientia. 2. Nō  
 est credendum omni spiritui scripturas hoc  
 vel illo modo explicanti, *sed probandi sunt spi-* 1, Ioan. 4o  
*ritus nū ex Deo sunt.* Quomodo verò proba-  
 ri poterunt? Ad scripturam ait Teelingius.  
 Sed quid si scripturam malè intelligam &  
 sic spiritum meum scripture conformem es-  
 se comperiam; quid consilij? *Non da-*  
*tur vltius in terra remedium* ait Teelingius  
 supra. Flagellandæ ergo est stultitiæ, duos vel  
 plures de scripturæ sensu litigantes ad spiritū  
 propriū mittere iudicaturum, & deinde, spiri-  
 tibus contraria iudicantibus, contendentes ad  
 scripturam remittere. Sic enim in circuitu im-  
 pij ambulant; nec solidum vsquam fundamē-  
 reperiunt.

Dico 6. Hic iudex non debet esse aliquis  
 extra Ecclesiam. Probatur primò quia qui in  
 fide nō habet errorē, quæ est conditio iudicis,  
 eo ipso est in Ecclesia. Secundò quia Ecclesia  
 est regnū & ciuitas Dei, quæ non debet regi &  
 doceri à Magistratu qui ad regnum Dei  
 non

non pertinent, hoc est ab iis, qui foris sunt  
*mes & benefici Apoc. 22. 15.*

Dico septimo: Huius iudicis potestas est ex  
 natura rei distincta à potestate politici princi-  
 patus. Probatum primo: Quia politicus princi-  
 patus est iuris gentium nec excedit terminos  
 naturæ, neq; quoad finem, ad quem subditos  
 dirigit, neque quoad media quæ in regimine  
 applicat. Finis enim eius est beatitudo natu-  
 ralis in ciuium pacè & honestà secundum naturam  
 conuersatione consistens: media autem sunt  
 iura & leges naturali rationi conformes, &  
 ab ea deriuatæ; vt sileam modo de ipsa princi-  
 pum ciuilium authoritate seu potestate, at-  
 que ipsa immediatè à Deo cõferatur, an ab ho-  
 minibus. Certum autem est iudicem contro-  
 uersiarum fidei immediatè à Deo authorita-  
 tem suam debere accipere, eiusque finem esse  
 beatitudinem supernaturalem, media quoque  
 esse doctrinam supernaturalem naturalitate  
 one ignotam. Secundò patet in Christo Do-  
 mino; qui cum utique summam haberet potes-  
 tatem circa supernaturalia potestatem, circa naturalia  
 ciuilia nullam habuit (saltè quoad usum) vnde  
 coram Pilato ait *Regnum meum non est de hoc mundo.*  
 208. 18. 3  
 208. 19. 11. do. Passus quoque est, Pilato in se potestatem  
 uile esse datam de super, siue occidendi siue de-  
 mittendi. Vnde infertur euidenter etiã à Deo  
 duæ istæ potestates possint eidem homini cõ-  
 ferri, non tamen, ex eo quia vna alicui collatur

est, etiam simul alteram ei collatam esse.

Dico 8. Iudex controuersiarum fidei quoad iudicandi potestatem non potest esse subordinatus ulli politico iudici. Patet ex dictis; dirigit enim subditos suos ad superiorem finem per superiora media: Authoritatē quoque habet talem quam nullus politicus princeps ei dare potest vel auferre. Iudicia autem secularia quam longè sint infra hoc Ecclesiasticum, videatur 1. Corinth. 6. versu 4. Nimirum debent politici iudices omnes (si salutem velint cōsequi) à Magistratu Ecclesiastico medijs spiritualibus ad finem supernaturalem dirigi. Ita rerum natura exigit: ita Deū ordinasse videbimus sequenti capite.

Dico 9. Hæc iudicandi potestas (saltem absque magna morali inconuenientia) non potest competere toti populo Christiano.

Probat: Cuiunque hæc potestas à Deo daretur, per hoc fieret pastor & gubernator ouium Christi: Sed omnis populus simul collectus non potest pascere & regere oues Christi: ergo &c. Minor patet; quia per hoc fierent pastores: adeoque essent doctores: & quos haberent discipulos? quas oues pascerent?

Non alias à se diuersas. Nullæ enim sunt Christi oues quæ ab hoc iudicio ferèdo possēt excludi. Nec semetipsos etiā singulatim sumptos. Nam sic tot personis constaret pastor quot totum ouile: imo iisdem omnino: adeo-

X

que

que nihil doceri posset populus quod suo cal-  
culo non prius ex multitudine suffragiorum  
approbasset. Cum tamen rerum ordo ita ha-  
beat vt sapientes inueniantur pauci, stultorum  
verò sit infinitus numerus: ideoque pauci de-  
beant esse magistri, discipuli verò multi.

Secundo, quia nunquam posset haberi hu-  
ius iudicis sententia; non enim potest totus  
populus congregari. Hinc

Dico 10. Hic iudex non potest esse aliquis  
totius populi vicem gerens tanquam vicari-  
potestate nomine totius populi Christiani con-  
trouersias fidei determinans. Probatur: Si hoc  
esset, iam potestas ista per prius & principaliter  
us esset in populo haberetque populus autho-  
ritatem in istum iudicem, atque ita esset po-  
pulus non tam ouile istius iudicis, quam eun-  
dem pastor quæ omnia rerum naturis repug-  
nant.

Dico 11. Potest hæc iudicandi potestas dari  
omnibus Ecclesiæ pastoribus separatim sum-  
ptis; ita vt singuli essent suarum ouium infalli-  
biles pastores. Patet: quia hic nihil est repug-  
nantia ex parte rei ab omnipotente Deo ha-  
enda.

Quanquam hoc modo in tota Ecclesia non  
esset vnitas ex virtute iudicum per se, sed ex  
vnitate veritatis, quam omnes attingerent.

Dico 12. Potest hæc potestas dari omnibus  
Ecclesiæ pastoribus cum æquali potestate  
vnum

vnum cōgregatis, eo scilicet modo vt vel omnium conscientijs, tunc eadem veritas à Deo reuelaretur, vel collectis omnium suffragijs, plura paucioribus præiudicaret, atque auctore Deo veritatem certo attingerent. Potestas tamen congregandi ipsos pastores deberet residere penes vnum, patet eadem ratione qua prius dictum.

Dico 13. potest quoque hæc potestas à Deo dari vni ex omnibus pastoribus: & hoc quidē dupliciter: Primo vt iste iudex potestatem suam à Deo acciperet in persona omnium aliorum pastorum, ita vt illorum ipse esset quasi instrumentum seu vicarius, ideo constitutus quia omnes pastores difficulter possunt congregari: Si tamen congregarentur, tunc ipsis iudicandi potestas prius & potius competere, atque adeo non esset Ecclesiæ absolutè necessarium vt iste instrumentarius iudex esset prorsus infallibilis, posset enim ab vniuersali synodo corrigi & iudicari. Secundò; ita, vt iudex iste immediatè gerat vicè Christi, adeoque ipse non dependeat à generali pastorum Synodo, sed Synodus ab ipso, ipse se autem à Christo. Patet eadem

ratione, qua  
priora.

X 2

CAPVT